

ASSERTUM XIII

PATER, FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS TAM PSYCHOLOGICE QUAM ONTOLOGICE CIRCUMINCEDUNT.

Circuminessio¹⁷ (circuminessio, perikhôrêsis) divinarum personarum tum in scripturis, tum apud patres, tum in conc. Florentino docetur.

Io., 10, 38: et si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoscatis et credatis quia Pater in me est, et ego in Patre.

Io., 14, 10: Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?

Io., 17, 21: ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint.

1 Cor., 2, 10 s.: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita et quae Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.

Mt., 11, 27: Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.

Pro patribus loquatur S. Fulgentius¹⁸, quem citat conc. Florentinum:

« Propter hanc unitatem Pater est totus in Filio, totus in Spiritu sancto; Filius totus est in Patre, totus in Spiritu sancto; Spiritus sanctus totus est in Patre, totus in Filio ... » [DB 704].

Quare ipsa circuminessio, prout his effatis proponitur, est de fide divina et catholica. Exponitur autem a S. Thoma tum secundum divinam essentiam, tum secundum relationes personales, tum secundum origines¹⁹.

Secundum essentiam quidem sic exponitur. In unoquoque est tum sua essentia tum omne quod realiter identificatur cum sua essentia. Sed singulae personae divinae sunt ipsa divina essentia cum realiter a divina essentia non distinguantur. Ergo Pater est in Filio, quia Pater est sua essentia, sua

¹⁷ Praeter consueta manualia, cf. A. Chollet, *DTC* 4 (1923), 212-32; G. Bardy, *DTC* 30 (1950), 1693-96; A. Denef, *Zeit. f. kath. Theol.*, 47 (1923), 497-532; G. Prestige, *God in Patristic Thought*, cap. XIV.

¹⁸ S. Fulgentius. *De Fide ad Petrum*, l. 4. *ML* 65, 674.

¹⁹ *Sum. theol.*, l. 1, q. 42, a. 5.

in genere intelligibilium sunt ut potentia, sed intellectus eorum est actus infinitus totius entis. Neque aliud et aliud admittunt tempus, ut secundum prius per accidens et secundum posterius per se sint subiecta naturae intellectualis actuatae, cum actus intelligendi infinitus ab aeterno comprehendat quid sit intelligere et quatenam sint normae intellectui intrinsecae. Quae cum ita sint, quam maxima est differentia inter subiecta aeterna atque subiecta temporalia.

Et tamen haec parva invenitur similitudo quoad utrumque subiectum est intellectualis naturae. Sicut enim intellectus divinus se habet ad totum ens ut actus, ita intellectus humanus se habet ad totum ens ut potentia; circa omnia enim intellectus noster quaerit, quid sit, et an sit; neque quiescit hoc desiderium naturale, quaestionibus manifestatum, donec ipse Deus per essentiam cognoscat¹⁶.

Praeterea, sicut nos sumus subiecta naturae intellectualis actuatae in quantum inquirendo ultra sensibilia ascendimus, et intelligendo secundum veritatem iudicamus, et iudicando secundum honestatem actum voluntatis spiramus, ita etiam subiecta aeterna sunt subiecta in quantum secundum veritatem dicitur Verbum et secundum honestatem spiratur Amor.

Praeterea, sicut nos sumus subiecta per se seu secundi temporis, in quantum ipsam nostram naturam intellectualem intelligimus, eamque nobis concipiendo et iudicando manifestamus, eamque intellectam atque manifestatam ita diligimus ut eam in omnibus sequi velimus, ita etiam subiecta aeterna ab aeterno sunt subiecta in quantum infinita natura intellectualis et ipsa se intelligit, eamque sibi Verbo manifestat, eamque intellectam et manifestatam Amore infinito diligit.

Praeterea, sicut nos ad perfectionem secundi temporis vel magis secundum intelligentiam vel magis secundum fidem vel magis secundum amorem pertingimus, ita subiecta aeterna sunt subiecta, alius quidem in quantum ex intelligentia dicit Verbum, alius autem in quantum est Verbum ex intelligentia dictum, tertius denique in quantum est Amor ex intelligentia dicente Verboque dicto procedens.

Praeterea, sicut nos alius ab alio dependemus tum secundum generationem carnalem ut existamus tum secundum doctrinam et fidem et amorem ut persona secundi temporis

¹⁶ Sum. theol., I-II, q. 3, a. 8. C. Gent., III, 25-63.

do est secundum alteram intellectus operationem et consequentem operationem voluntatis, videlicet, quatenus reflectentes de conceptibus quaerimus an sit, et evidentiam ponderamus, et iudicia speculativa et practica formamus, se secundum iudicia eligimus. Quae quidem vitae sensitivae informatio atque actuatio intellectualis ipsam vitam sensitivam praesupponit; nisi enim iam per operationes sensitivas consensu efficiamur, nihil per intellectum vel voluntatem operari possumus, si quidem hac in vita nisi in phantasmate nihil prorsus intelligimus actu¹⁵.

Tertio, subiectum temporale prius per accidens quam per se est subiectum naturae suae intellectualis qua actuatae.

Unumquodque enim dicitur per se vel per accidens secundum quod sit vel ex intentione agentis vel praeter intentionem agentis. Iam vero quatenus consideratur intentio illius agentis quod naturam subiecti temporalis creavit et conservat et ad agendum applicat, patet omnino per se actuari naturam intellectualem subiecti temporalis. Quatenus autem consideratur intentio ipsius subiecti temporalis, etiam patet non prius actualionem naturae intellectualis intendi posse quam ipsum subiectum sciat se habere naturam intellectualem; neque minus evidens est subiectum temporale non posse scire se habere naturam intellectualem antequam ipsa haec natura sua sit actuata.

Praeterea, sicut subiectum temporale non propria intentione sed spontaneitate naturali sit actu inquirens, intelligens, iudicans, volens, ita etiam idem subiectum temporale ipsas suas operationes intellectuales prius modo quodam spontaneo gubernat quam easdem operationes gubernare addiscat secundum intentionem propriam et intellectam et approbatam et electam. Haec enim gubernatio sui plene conscia atque deliberata praesupponit exactam atque perdifficilem ipsius suae naturae intellectualis cognitionem secundum normas atque exigentias suas intrinsecas. Neque haec exacta atque difficile cognitio haberi potest nisi per operationes intellectuales. Quare donec acquiratur, necesse est ut operationes intellectuales subiecti temporalis gubernentur secundum spontaneitatem illius luminis intellectualis, quod in nobis est participatio quaedam creata lucis increatae.

¹⁵ *Sum. theol.*, I, q. 84, a. 7.

necessitas
actualitatis